



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini


Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

26. Henrici IV. Imp. Dat. Treuiris, Anno MLXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

cancellarij & Archiepiscopi recognoui. Data XVII Kl. Octobr. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, anno autem Domini Henrici Tertij Regis, Secundi Imperatoris ordinationis vicesimo octauo, Regni verò decimo octauo, Imperij decimo. Actum Botuelt in Dei nomine feliciter. Amen.



26.


Henrici IV. Imperatoris Datum Treuiris, Anno MLXV.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementiâ Rex. Quoniam Regalis antecessorum nostrorum prouidentia & sollicitudo in construendis, constructisque stabiliendis Dei Ecclesijs piè iugiter inuigilauit: Idcirco benignissimâ Christi miseratione, in cuius manu Regum corda vel lura consistunt, regni illorum diuturnitas pacificata viguit & effloruit. Vnde nos piè salubriterque de nostri regni statu tractantes, deuotamque illorum sollicitudinem imitari cupientes, priuilegia antecessorum nostrorum Regum siue Imperatorum Cænobio Sancti Maximini, qui in suburbio Treuororum requiescit, concessa vel attributa, ob interuentum dilectissimi nobis Adelberti Hammaburiensis Archiepiscopi, nec non & Annonis Colonienfis Archiepiscopi, & Eberardi Treuororum Archiepiscopi, Ellenhardi quoque Frisingensis Episcopi, & Theodorici Virdunensis Episcopi, aliorumque fidelium nostrorum, scilicet Gerardi Ducis, & Godefridi Ducis, & Ottonis Marchionis, nostrâ etiam autoritate roborare decreuimus, vt & antecessorum nostrorum beneuola pietas non (à nobis neglecta) debilitetur, & Monachorum inibi Deo seruientium tranquillitas ab aliqua subintroducenda persona non inquietetur. Ea siquidem ratione, vt idem Cænobium, vbi prænotatus Sanctus Pontifex requiescit, cui Venerandus Abbas Theodicus nunc præesse videtur, sic ut sub Antecessorum nostrorum, sic sub nostro quoque iure, Mundiburdio ac defensione consistat, nec alicui sedi aut Ecclesiæ, excepto nostræ Regali potestati, successorumque nostrorum, famulum, aut appendix, vel beneficiarium subiaceat. Concedimus etiam eis liberum arbitrium inter se eligendi Abbatem tali honore dignum, & ad id officium idoneum, vt eò securius ab eis diuinum impleatur ministerium, summeque propensius Maiestatis pro nobis implorent auxilium. Insuper etiam concedimus, vt idem Abbas, sibi que commissa congregatio, eorumque successores potestatem habeant Aduocatas Monasterij sui, cui velint dandi, cuique velint, tollendi; & vt nulla cuiuslibet iudicariæ dignitatis persona in eurtibus eorum placitum habere præsumat. Teloneum à nauibus eorum nullus exigat, familiaque eorum bannum & fredas nulli nisi

Abba-

Abbati persoluat, nulliusque nisi Abbatis, vel ab eo constitutorum placitum attendat, & in singulis Ciuitatibus regalibus, vel praefectorijs liberam potestatem habeant intrandi & exeundi, vendendi & emendi, pascendi & adaquandi, eisque opera regalia & comitalia funditus perdonamus. Et vt hoc autoritatis nostrae praecipuum firmum & stabile permaneat, manu propria corroborantes, Sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini Henrici Quarti Regis. Sigebardus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarij recognoui. Data anno Dominicae Incarnationis MLXV. Indictione III. Anno autem ordinationis Domini Henrici Quarti Regis XII. Regni vero IX. Actum Treuiris in Dei nomine feliciter. Amen.



27.

*Henrici IV. Imperatoris Datum in Triburia, Anno
MLXVI.*

IN nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. Henricus diuinæ pietatis adiuuante clementiâ Rex. Si locis diuino cultui mancipatis, & inibi Deo famulantibus dignè consulimus, multò magis illi loco sacratissimo aliqua pietatis opera impendimus, per quem, & à quo Regni nostri statum semper confirmabimus, & coniugem nostram legitimo iure nostrae Regalitati in Regnum associare, dotare & sublimare debemus. Proinde cunctis fidelibus nostris, tam praesentibus scilicet, quam futuris notum esse volumus, qualiter nos de nostri statu